

**CASUS MORALIS SECUNDUS**

*Cyrillus ignarus confessarius, tibi, parocho, fatetur se hanc agendi rationem cum poenitentibus adhibere, scilicet:*

1—*abortum, ceu minus malum, suadet puellis ex commercio illicito gravidis quoties sibi mortem inferre declarant ad infamiam sibi suisque vitandam;*

2—*dimidiatam copulam vel adprobat vel suadet cum de conjugibus prolem suscipere nolentibus agatur;*

3—*tandem iisque conjugibus novam methodum ita dictam "Ogino-Knaus" aliquando proponit.*

**QUAERITUR:**

I. *Utrum licitum sit suadere minus malum ad impediendum majus.*

II. *Quid substantialiter haec nova methodus "Ogino-Knaus" dicta doceat et quid de continentiae periodicae moralitate dicendum.*

III. *Quid tu hunc confessarium docere debeas in supra-dictis tribus casibus.*

**RESPONDEO AD PRIMUM:**

Ut licitum sit suadere minus malum ad impediendum majus duo requiruntur: 1) ut ille qui vult malum inferre jam determinatus sit ad illud inferendum vel ab illo inferendo averti non possit; 2) et, ut agatur de minori malo ejusdem speciei. Sic v.g. potest quis suadere Petro, qui determinatus est ad furandum £100 a Paulo, ut eidem furetur £50 tantum, vel si paratus est Paulum occidere eo fine ut ab eo furetur, suadere ut furetur tantum et non illum occidere. Hoc in casu non suadetur malum absolute, sed suadetur ne faciat tantum malum quod omnino facturus est.

Hac in re omnes conveniunt Moralistae. Sed quid si suadetur minus malum **diversae** speciei? V. g. si loco homicidii suadetur perfecta ebrietas ut homicidium non fiat, vel adulterium? Quaestio haec hisce ultimis annis scientifice investigata est a P. Michaelae Fabregas S.J. (1). Clarus Pater explicite admittit quod licitum est suadere minus malum quamvis diversae sit speciei ac majus, modo inferens malum jam determinatus sit ad illud, et ad suam opinionem roborandam plus quam 30 patronos enumerat inter quos S. Alphonsus, Sotus, Molina, Suarez, Lugo, San-

(1) *Periodica de re morali etc.*, T. XXI, 1932, p. 57.

chez, Lessio et Vasquez. Et en aliqua ex suis argumentis:—

a) Consilium de quo disceptamus habet bonum objectum, bonum finem et bonas circumstantias; ergo hoc consilium licitum est, per accidens tantum est causa mali;

b) Major injuria infertur in Deum per homicidium effectivum, reale quam per homicidium affectivum vel internum quamvis conjunctum cum ebrietate perfecta. Ita tenet sensus communis hominum.

c) Minus malum quod suadetur ad impediendum majus, quamvis sit ejusdem speciei, in se consideratum remanet semper malum; et si hoc non imputatur consulenti, hoc fit quia imminutio est mali majoris. Ergo etiam, a pari, minus malum quod non est ejusdem speciei, non debet imputari consulenti quia imminutio est mali majoris.

Doctrina haec etiam expresse admittitur a Jorio (2) qui ita se habet: "...licet... fornicationem proponere (proponendo) prae adulterio, furtum a divite prae fornicatione, adulterium prae homicidio etc. Quod a suadente enim intenditur est diminutio mali, quod per se bonum est. Observa tamen, ait Jorio, quod quaedam, quae minora esse videntur, reapse non sunt talia ob scandala, ob periculum gravissimum etc. Et hoc sensu accipienda est resolutio S. Off. 22 Nov. 1922 illicitam declarans suasionem ad dimidiatam copulam viro onanistae".

Attamen haec doctrina nullo modo placet Noldin aliisque. Isti tenent quod quamvis haec suasio **objective** bona sit, cum tendat in mali imminutionem, **subjective** difficile intelligi potest minus mala. Etenim hoc in casu quis inducitur ad novum peccatum committendum et qui sequitur hanc suasionem praeter peccatum internum v.g. homicidii et novum peccatum externum committit v.g. ebrietatis vel adulterii.

#### RESPONDEO AD SECUNDUM:

##### Ad Primam Partem:

Haec nova methodus "Ogino-Knaus" dicta hoc substantia-  
liter docet quod "Cum certitudine affirmare possumus, etiam  
apud foeminas sexualiter maturas, dari aliquam physiologicam  
sterilitatem. Nimirum, mulieres quae regulariter post periodum  
4 hebdomadarum fluvium patiuntur, nequeunt primis decem in-  
termenstruis diebus et inde a die 18a. concipere. Periodus fruc-

(2) Vol I, n. 233.

tuosa qua debitum redditum ad praegnantiam mulieris conducere potest, incipit a die 11a. et finit 17a. die inclusive; a die 14a. ad 16m. currit tempus maxime propitium felici conceptioni. Paucis verbis, secundum Knaus, tempus agenseos currit per 21 dies continuos a die 11a. ante usque ad diem 10m. post profluvium.

Ad hanc conclusionem pervenit sequenti modo: a) Ostendit ovulationem locum habere inter diem 14m. et 16m. temporis intermenstrui. Nimirum post ovulationem exurgit in ovario corpus luteum et factum illud jam post 48 horas detegi potest aliqua injectione pituitinae. Jamvero, apparitio corporis lutei ope praedictae injectionis semper prima vice manifestari contingit inter diem 16m. et 18m. ita ut concludi debeat ovulationem locum habere inter diem 14m et 16m. b) Ostendit deinde fecundationem impossibilem esse ante diem 11m intermenstrui. Etenim, quamvis spermatozoïda una hora cum dimidio post coitum adesse possint in oviductis ad fecundandum ovulum, post duas dies in organismi genitalibus mulieris transactas suam fecundandi virtutem jam amittunt. Itaque copula sterilis erit si fit duabus diebus, vel, ut omne dubium excludatur, si fit tribus diebus ante ovulationem, i.e. ante diem 11m. intermenstrui. c) Tunc probat fecundationem esse impossibilem post diem 17m. Ratio est quia ovum post unum diem jam est incapax subuendi fecundationem. d) Tandem, ut contendit, abortus necessario sequeretur si, per impossibile, fecundatio locum haberet post diem 17m. Notum est enim corpus luteum (menstruationis) nisi tempestive immutetur (in corpus luteum gravitatis) deperire, ita ut amplius nequeat uterum in statu congestionis servare et prohibere ne profluvium 28a die intermenstrui locum habeat. Atque haec mutatio corporis lutei non obtinet antequam ovum, inde a diebus decem jam fecundatum, mucosa uteri involvatur. Quare, si die 18a vel postea fecundatio locum haberet, die 28a profluvium, quo ovum expellitur, certo subintraret.

#### **Ad Secundam Partem :**

Methodus "Ogino-Knaus" statim ac in vulgus prodiit, summam excitavit admirationem, compluribusque sacerdotibus ceu remedium ad multorum conjugum pestiferas neo-malthusianas consuetudines proffigandas idoneum visa est. At paulo post ejus divulgationem, doctores non pauci, methodum hanc directe pervestigantes suisque propriis innixis experimentis, de ejusdem veracitate dubia proferre arbitrati sunt.

Quidquid est de veracitate methodus Ogino-Knaus, ad ejus-

dem moralitatem quod attinet, seu liceitatem, distinguendum est inter casus verae necessitatis et casus in quibus continentiae periodicae usus nulla rationabili causa excusatur.

1. Verae necessitatis casus ad indicationem pertinent vel medicam, vel hygienicam, vel socialem.

a) *Indicatio medica.* Hoc nomine venire solent casus praegnationis vel partus mulieri graviter nocituri, vel extraordinarii incommodi ex praegnatione exurgentis. Continentia periodica procul dubio licita est cum mulier ob praegnationem, vel partum gravi mortis periculo objicitur. Ad periculum hoc vitandum, illicitum quidem est divinas leges quovis antidoto vel antifoeundate artificio infringere; at mulieri vetitum non est debitum denegare prorsus vel diebus tantum agenseos reddere. Quo in casu, quamquam ad domesticam pacem servandam satius est mutuo consensu agere, tamen uxori licet, vel ipso viro contradicente, a copula diebus genesiacis abstinere. Quae enim debitum sine culpa denegare prorsus valet, a fortiori a peccato excusatur, si iisdem in adjunctis matrimonii usum diebus tantum agenseos viro suo permittit.

Modo dicta applicanda videntur eo quoque in casu, quo mulier, iudicio medici, ob morbida generationis organa, valde incommodae praegnationi subjicienda foret. Ad extraordinaria enim ac diuturna maternitatis incommoda, mulier, vi contractus matrimonialis, non cogitur.

b) *Indicatio hygienica.* Conjugibus hereditariis vel graviter inefficientibus morbis affectis illicitum non est ita per continentiam periodicam se gerere, ut infecta proles evitetur. Quamquam enim melius est prolem sic esse, ac beatitudinis aeternae assequendae capacem quam non esse, tamen indubium est conjuges ad morbidam prolem gignendam non teneri. Idem dicendum videtur quoties certum est mulierem, ob vitiosam organorum genitalium dispositionem, praegnationem ferre non posse, et abortum semper pati.

c) *Indicatio socialis.* Continentia periodica licita videtur, cum ob extraordinariam mulieris vim generativam vel summam conjugum pauperiem, proles alere physice vel moraliter impossibile aut valde difficile est. Relegendum tamen est divinam Providentiam sibi fidentibus conjugibus totamque a Deo datam prolem in simplicitate cordis recipientibus minime deesse.

Cum vero agitur de conjugibus qui, licet nulla justa causa

suppetat, continentiae periodicae operam dare constituunt, doctores in diversas sententias abeunt.

a) Quidam enim ajunt hos peccare per se graviter. Ratio est quia hi conjuges positivo voluntatis actu dies ageneseos exclusive eligunt, sicque matrimonialis conversationis frustrationem procurant. Hoc vero primarii matrimonii finis positivam exclusionem importat; ideoque continentiam periodicam per se illicitam facit. Ita Salsmans (3).

b) Alii vero, nulla ratione habita finis quo conjuges in continentiae periodicae usu ducuntur, censuerunt continentiam periodicam licitam esse, dummodo conjuges mutuo consensu agant et incontinentiae periculum caveant. Ratio est quia generatio prolis non est finis unicus matrimonii, secus steriles validum matrimonium contrahere non possunt neque eo uti licite valent. Matrimonium institutum est etiam in mutuuum conjugum adiutorium et in remedium concupiscentiae, quod clare constat ex can. 1013. Igitur matrimonium et in remedium concupiscentiae licite initur, dummodo conjuges in usu matrimonii nil agant quod fini primario positive adversatur. Huc spectat responsio a S. Poen. die 16 Junii 1880 data qua dicitur "Conjuges praedicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse..."

Praecipuus hujus opinionis patronus recensetur P. Heymeijer S.J. quem sequitur Dr. Smulders et P. Mayrand.

c) Alii tandem, viam mediam sequentes, declarant continentiae periodicae praxim in eo tantum illicitam esse, qui, prolem devitare volens, unam libidinosam satisfactionem quaerit, simulque omnes secundarios matrimonii fines *positive* excludit. Item in eo qui prolem hac una de causa devitare constituit, ne sc. praegnationis atque educationis prolis onus suscipere cogatur, ne suam libertatem amittat, ut bona patrimonialia vel corporaliū viriū florem servet. Hos peccare indubium est, sed utrum **letaliter ut Salsmans vult**, non videtur. Audiatur S. Alphonsus: "Certum est esse illicitum habere copulam propter solam voluptatem; ut patet ex prop. 9 damnata ab Innocentio XI, quae dicebat: Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus culpa caret ac defectu veniali (Propositio haec damnata ac prohibita est ad minus ut scandalosa et in praxi damnosa). Comune tamen est apud omnes id non esse mortale, sed tantum *veniale* peccatum; ita Sanchez, Pontius, Bossius et alii passim,

(3) *Ephemerides Theologicae Lovanienses* 1934, 562.

ex Divo Thoma, ubi expresse id docet. Et ratio cur non sit mortale est, quia delectatio de aliquo objecto ex duplici tantum capite potest esse mortalis: vel quia objectum ipsum est graviter prohibitum, vel quia homo delectatur de illo tamquam ultimo fine. Sed hac delectatione neutrum intervenit: non primum, ut patet, non secundum, ut supponitur. Non excusatur autem a veniali quia est perversio quaedam ordinis cum delectatio, quae intenta est a natura ut medium ad generationem, fit finis habendae copulae" (4).

Ex damnata propositione atque ex allegatis a S. Alphonso Theologorum declarationibus patet peccare, et quidem venialiter tantum, eum, qui opus conjugii ob solam voluptatem exercet. Prope perpendenda sunt verba *ob solam voluptatem*; in his enim Ballerini totam damnationis propositionis et peccati venialis rationem invenit. Docet enim conjuges venialiter peccare solummodo cum in usu matrimonii unam veneream voluptatem quaerunt, simulque matrimonii fines omnes positive et expresse excludunt. Ita ut prop. haud damnaretur si ita conciperetur: Opus conjugii ob voluptatem (omittitur *solam*) exercitum omni penitus culpa caret ac defectu veniali. Hinc consequitur conjuges ne venialiter quidem peccare, ubi copulam ob libidinem exerceant, non tamen matrimonii fines positive excludant. Et ita sentire videtur Vermeersch (5). Et cum eo alii complures.

#### RESPONDEO AD TERTIUM:

1. *Quoad abortum*. Proculdubio male facit confessarius si ita statim puellis sibi mortem inferre volentibus simpliciter abortum suadet nullo agmine facto ut eas a diro suicidii proposito arceat. Scire debet confessarius quod saepe saepius mulierculae, post errorem commissum, putant se esse praegnantes etiam quando hoc verum non est. Existimatio vel suggestio ex parte istarum fortior est realitate. Igitur confessarius imprimis prudenter investigare debet utrum revera conceptio facta est an non. Si signa dantur de deficientia praegnationis, tunc poenitentes circa hanc instruere debet ut acquiescant. Quod si, e contra, de praegnatione constat, confessarius non debet perturbari per dicta poenitentium. Saepe saepius plus dicunt quam faciunt, et in dictis exaggerant, sed potius illas instruere debet de gravi damno inferendo **sibmetipsi, familiae, societati et proli conceptae**. Monitionibus

(4) 1, vi, n. 912.

(5) *Periodica de re morali etc.*, 1934, p. 241.

et exhortationibus habitis poenitentes saepius acceptant infamiam in expiationem peccati commissi. Ita se gerere debet confessarius noster, quod non facit. Peccat igitur contra caritatem erga illas puellas et contra justitiam erga prolem; imo, si datum consilium efficax fuit, confessarius in excommunicationem Ordinario reservatam (Can. 2350, p. 1), abortu secuto, incurrit.

Quod si omnibus tentatis resipiscentiae viis, a suicidii crimine puellae averti non possunt, nisi per consilium procurando sibi abortum, confessarius denegata aliunde absolute propter indispositionem poenitentis a peccato seu scandali seu injustitiae eximitur. Revera sane, satis probabile est, juxta praedicta ad I, peccare volenti tibi licere suadere minus malum *de quo ne cogitabat quidem*. Nam ita agens, peccatum suades non quidem absolute, sed sub conditione *si non vis peccato abstinere*; adeoque consulis electionem minoris mali atque medium ad evitandum malum gravius. Quod si consulis malum *in damnum tertii determinati vergens*, a peccato quoque injustitiae erga hunc probabiter saltem eximeris, si *designatio mali hujusmodi necessaria est ad gravius malum vitandum*. Nam qui damnum ob hanc designationem patitur queri quidem potest de damnum inferente; at queri de te non potest, qui minus malum suasisti; quippe suadere non potuisti nisi eo designato (6). Videndum superest num confessarius suo consilio minus malum puellis vere suaserit. Affirmandum videtur; nam puellae per suicidium vitam et propriam et foetus certe perdidissent; per abortum unum foetum perdunt. Porro minus certe malum est unum quam duos interimere, licet alter per accidens et indirecte tantum interimatur.

2. *Quoad copulam dimidiatam*. Etiam in hoc casu, confessarius male se gerit et graviter peccat quoties dimidiatam copulam vel adprobat vel suadet. Dimidiata copula intelligitur, cum vir semen immittit quidem in vaginam, ejus tamen partem tantum ingreditur. Hanc vero dimidiatam copulam simpliciter adprobare vel suadere, cum adprobandi nulla honesta et gravis causa suppetit, illicitum ex eo est quod numquam licet vel leve peccatum adprobare aut suadere. Hunc pertinere videtur S. Off. Cong., quae proposito dubio: 1. An tolerari possit confessarios sponte sua docere praxim copulae dimidiatae, illamque suadere promissive omnibus poenitentibus, qui timent ne proles numerosior nascatur? 2. An carpendus sit confessarius qui, omnibus remediis

(6) Cfr. PISCETTA-GENNARO, II, n. 249; III, n. 371.

ad poenitentem matrimonio abutentem ab hoc malo avertendum frustra tentatis, docet exercere copulam dimidiatam ad peccata mortalia evitanda? 3. An carpendus confessarius qui, in circumstantiis sub 2, copulam dimidiatam poenitenti aliunde notam suadet vel poenitenti interroganti num hic modus licitus sit, respondet simpliciter licere, absque ulla restrictione seu explicatione?”, die 1 Dec. 1922 respondit: “Ad primum: Neg.; ad secundum et tertium: Affir.”

3. *Quoad methodum “Ogino-Knaus” dictam, quamdiu S. Ap. aliter non decreverit sequentia confessarius in mente teneat:*

1. Continentiae periodicae usum ne umquam, non rogatus, suadeat, nisi postquam, omnibus frustra tentatis viis ad conjuges in honestum matrimonii usum pertrahendos aptis, probe sciat continentiae periodicae praxim necessario suadendam vel probandam esse ad gravissima incommoda vitanda vel ad onanismi crimen profligandum. Multo minus illam adprobet vel omni culpa vacare conjugibus interrogantibus respondeat. Haud enim absurde quispiam dixerit confessarium hujusmodi in damnationem incidere responsionis a S. Off. Cong. die 1 Dec. 1922 latae in affirmantes copulae dimidiatae licitatem.

2. In casibus in quibus continentiae periodicae usus licitus esse videtur (casus hujusmodi superius recensuimus; indicationis nempe medicae, hygienicae, socialis), confessarius in memoriam poenitentis revocet Divinae Providentiae fiduciam. Deus enim datam fidem fideliter servat in simplicitate cordis viventibus eique fidentibus prorsus. Continentiae periodicae usum eo tantum in casu permittat, cum probe novit conjuges suis monitionibus ita repugnare, ut potius quam matrimonio rite uti, neomalthusianam praxim eligere velint.

3. Conjugibus onanistis vel continentia periodica uti absque legitima causa volentibus hanc suadeat aut permittat eo tantum in casu, in quo legitimum matrimonii usum suadere frustra tentaverit. Nempe juxta regulas a S. Poenitentiaria suis responsionibus anno 1853 et 16 Junii 1880 latas.